Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1733
Quelle:
Copyright:

ſuaſum hac prima Diſſertatione *Rubiconem* tranſiviſſe puto, deque ea fari *Cochlaeum*, dum *Hiſt. Huſſit.* L. I. p. 42. ait: *Jacobellus de ea re admonitus acutum pro utraque ſpecie libellum (qui adhuc extat) conſcripſit ſociisque ſuis communicavit* &c. Extat ſane; quoniam autem ſors illi publicae lucis, ut multis poſteriorибus *Jacobelli* Scriptis obtigit, hactenus negata fuit, ſaltem, qua ratione novam provinciam ingreſſus ſit Autor, hic adſcribere non pigebit. Ita vero ille: *Quia heu in templis chriſtianorum opera hominum inventicia et incerta nimis ſplendida coram oculis hominum, ut ymagines oſſa ſive reliquias vocatas ſanctorum per aurum et argentum artis ſubtilitate exornatas chriſtiani communiter plus mirantur ſtupent et venerantur, quam opus dei perfectum in diuiniſſimo ac iugi ſacrificio corporis et ſanguinis chriſti in conſpectu filiorum hominum preparato, quia eciam in quibusdam excitatur ſpiritus ad ſumendum eciam laycis corpus et ſanguinem chriſti ſub vtraque forma ſacramentali, ſicut a ſacerdotibus, Alijs autem hoc non videtur eſſe expediens. Ideo pro iſta materia aliqualiter diſcutienda, et ad probandos ſpiritus ſi ex deo ſunt, et vt eciam promoueatur ex hoc honor et reuerencia, amor et deuocio, atque fidele deſiderium in templis chriſtianorum ad hoc beatificum ſacramentum et ſuperceleſte ac iuge ſacrificium corporis et ſanguinis chriſti ceteris fictijs et adinvencionibus hominum profligatis. Ideo moueatur iſta queſtio: Vtrum expediens ſit et neceſſarium ex inſtitucione chriſti, quod communitas fidelium laicorum ſumant ſepius corpus et ſanguinem chriſti ſub duplici forma ſacramentali.* Atque tum Argumentis in contrarium obiter adductis, praemiſſaque pro more proteſtatione nihil dicendi *contra ſanctam eccleſiam katholicam chriſti ihesu, contra veram fidem chriſtianam, contra legem dei immaculatam aut bonos ſiue ſanctos mores eccleſie*, Rationes ſuas in aciem educit, eas videlicet, quas legere eſt in aliis ſubſequis Ejus Opuſculis ab *Herm. Hardtio* T. III. *Actor. Conc. Conſtant.* publicatis, qui cur a primo hoc totius Controverſiae capite edendo abſtinuerit, neſcio. Excitat *Jacobellus* mox ſub principium *Doctoris Davidis Librum de ſeptem proceſſibus hominis ſpiritualis.* Is eſt *David de Auguſta* ſeu *Teutonicus* O. M. cujus Aſcetica a quibusdam intruſa ſunt *Bonaventurae* Opuſculis.

II. *fol.* 28. p. 2. *Poſitioni* ſtatim cohaeret Compilatio illa Dictorum PP. quam indicavimus *Cod.* CCXVI. n. 4. hoc initio: *Quod non ſolum ſacerdotes ſed eciam layci fideles* &c. ubi jam ſuſpicionem movimus, eam ad *Jacobellum* pertinere, quae ſuſpicio e praeſenti hoc *Codice* convaleſcit.

III. *fol.* 53. p. 2. *Jacobelli* Scriptum contra *Andream de Broda* continuo ſequitur, quod a nobis alibi relatum, et ab *Hardtio*